



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. III. Vtrum ad initium fidei sit necessaria gratia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

cap. 8. & 9. aliis 23. & 24. & contra Collator. cap. 6. v. alia onerata, quæ vulgaria sunt, solum proponam optima verbalia lib. 3. Sentent. cap. 10. *Doctrina si ne adiuvante gratia quantum infundatur auribus, ad cor nunquam descendat. foris quidem persrept, sed interius nihil proficit. Tunc autem De sermone infusus auribus ad cordis vltima pervenit, quando Dei gratia mentem interius, vt intelligat, tangit.*

6.
Vt ratio ne
probetur,
subdatur.
minus p. in
cipulis asser-
tio.

Ostenditur
de fide.

Concinnunt.

3.
3 quoque
obicitur
asseritio.
Ostenditur
essentia de fide.

8.
Asseritur iam
rat. oprioris
asseritio
prim. ipalis.

Est etiam
ratio a prio-
ri.

Vt autem ratione probeatur hæc assertio, statuen- dum prius est, adiutorium Dei non esse necessariam tantum ad facilius credendum, vt Pelagius, & Celestius dicere aui sunt, sed esse necessariū simpliciter ad credendum, ac proinde hanc non esse necessitatem ad melius esse, quæ potius est vtilitas, sed esse necessitatem simpliciter, quia sine illo auxilio non solum a- gre possumus, sed potius omnino non possumus cre- dere, sicut oportet. Quod eadem fide certum est, & in terminis definitum in prædictis Concilijs, præsertim in Milevitano capit. 5. & Trident. canon. 3. *Si quis dixe- rit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio posse hominem credere sicut oportet, anathema sit.* Et idem habent Pontifices citati. Probantque adducta Scri- pturæ testimonia. Nam Christus dixit, *Sine me nihil potestis facere.* Et Paulus, *Quid habes, quod non accepisti, & 2. ad Corinth. 3. Non sumus sufficientes, &c.* Non enim poterant clarius nostram impotentiam explicare. De qualitate August. toto libr. de Prædestinat. Sanctior. & lib. 2. contra duas epistolas Pelagianor. cap. 8. & lib. 1. de Grat. Christi capit. 29. Prosper, & Fulgentius in lo- cis vulgatis.

Atque hinc etiam constat, necessitatem huius au- xilij esse ad singulos actus, ita vt nec minimus actus fi- dei, si sit fidei Christianæ, & sicut oportet, haberi pos- sit ab homine sine hoc gratiæ adiutorio. Hæc etiam propositio æquæ certa est, ac præcedentes, & de ope- ribus pietatis generaliter definita est in Concilijs Palæstin. & Milevit. & tradita ab Augustino epist. 107. & multa alia retuli libro præcedenti capit. 15. quæ in hunc modum explicavi, & ita confirmant hanc veri- tatem. Quam etiam colligo in hunc modum ex de- finitione Concilij Trident. statuit enim, non posse hominem credere, sicut oportet, sine Spiritus Sancti gratia; ergo nullum actum fidei potest homo facere, sicut oportet, sine gratia. Nam qui vel vnum actum veræ fidei elicit, iam credit, sicut oportet; imo ibi im- plicite credit omnia, quia ratio credendi vniuersalis est, propter hoc & contrario, qui vel in vna parte fidei non credit, nihil vera fide credit. Accedit, quod ea- dem difficultas essentialis, vt sic dicam, est in quolibet actu fidei, & ideo si vnus posset fieri viribus natu- ræ, quilibet fieri posset. Denique eodem modo ibi di- citur, neminem posse diligere, sicut oportet, vnde recte colligitur, neque vnum actum dilectionis, sicut oportet, posse facere hominem sine gratia, aliàs sine gratia posset saluari, quia per vnum actum fidei, & di- lectionis, sicut oportet, potest homo saluari.

Hinc ergo sumenda est ratio principalis asseritionis, scilicet auxilium hoc requiri ex intrinseca natura ta- lis actus, quæ superat naturalem potestatem intel- lectus humani ad aliquid efficiendum. Vnde sit, hanc necessitatem non esse ex accidenti (vt sic dicam) vel ex intrinseco impedimento, sed per se, & ex natura rei. Declaratur, incipiendo ab hoc vltimo, quia hæc gratia non solum est necessaria ad credendum in sta- tu naturæ lapsæ, sed etiam in statu naturæ integræ; imo non solum in natura humana, sed etiam in An- gelica; ergo signum est, hanc necessitatem provenire per se, & ab intrinseco ex natura talis actus. Idem col- ligitur ex eo, quod paulo antea dicebam, hanc neces- sitatem esse ad singulos actus; ergo signum est, esse per se, & non ex accidenti: nam ea, quæ sunt per acci- dens, variantur, & interdum delinunt, vt supra di- cebamus de actibus ordinis naturalis. Præterea est ratio a priori, quia actus fidei fundatur per se in sola auctoritate diuina obscure reuelante, & ad illam re-

ducit omnia principia credendi, tanquam ad ratio- nem formalem, propter quam firmissime, & itaquam omnino infallibiliter creditur, quidquid hæc fide tene- tur, hic autem modus credendi superat naturales vi- res intellectus, quia proprio lumine commensuran- tur: ergo per se, & ex propria ratione talis actus fieri non potest sine viribus gratiæ. Qualis autem sit su- pernaturaletas illius actus, infra dicam. Denique est optima ratio à posteriori, quia per fidem impetra- mus alia dona gratiæ, iuxta illud Iacob. 1. *Postulet in fi- de nihil hesitans*, & docet August. epist. 103. ergo oportet, vt ipsa sit donum gratiæ, nam per dona naturæ non meremur gratiam, vt Concilium Arausican. de- finit, & infra trademus. Aliàs initium salutis esset ex nobis, quod est damnatum, vt dicemus. Similiter per fidem resistimus tentationibus, iuxta illud Petri. *Cui resistite fortes in fide*; ergo pertinet ad illam gratiam, per quam nobis fundamentum iustitiæ. Rom. 3. & ad Heb. 11. & exponit Tridentin. sess. 6. cap. 8. ergo oportet, vt sit eiusdem ordinis cum ipsa iustitia, ac subinde super- naturalis, & ex gratia.

CAP V T III.

Vtrum ad initium fidei sit necessaria gratia?

IN superiori capite Pelagianorum errorem refuta- uimus, hic contra Semipelagianos breuiter agen- dum est. Et ne de voce initij fidei sit ambiguitas, ad- uertendum est, illa voce significari posse quidquid post reuelationem fidei, aut voluntate, antequam in- tellectus proprium assensum fidei eliciat. Hoc autem sic præuium ad assensum fidei duplex cogitari potest, scilicet, voluntas credendi, & interna vocatio, & ex- citatio ad volendum credere, hæc enim duo per se necessaria sunt. Nam quia fidei propositio, seu reuela- tio, cum non sit euident, intellectui necessitatem non inferat, nec illam omnino determinat, necesse est, vt antequam voluntas illam determinans, vt ostendit D. Thomas. 2. 2. q. 4. artic. quia fides (vt dixit Clemens Alex. libr. 5. Stromat. in princ. *est animæ rationalis libero arbitrio vtens assensio*; cum ergo intellectus liber non sit, seipsum determinare liberè non potest: ergo à li- bera voluntate determinandus est. Ante volunta- tem autem necesse est, vt præcedat sufficiens induc- tio, & præparatio. Præter hæc vero si quid aliud in- terdum antecedit, erit per accidens, vtrumque au- tem illorum potest initium vocari. Nam Concilium Arausican. ca. 5. voluntatem credendi vocat initium fidei. Iuxta doctrinam Concilij Tridentini sessione 6. capit. 5. vocatio ad fidem, quæ per internam præueni- entem gratiam in nobis fit ante voluntatem creden- di, dici etiam potest initium fidei. Nam licet Conci- lium ibi nō loquatur specialiter de initio fidei, sed de exordio iustificationis, nihilominus cū fides sit ius- tificationis fundamentum, clarum est, similem voca- tionem ad fidem, esse etiam fidei exordium. Et ita il- lud describit idem Concilium statim capit. 6. dicens. *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, libere mouen- tur in Deum.* Est ergo duplex fidei initium, quorum prius vocare possumus proximum, & aliud remo- tum, vel cum fides partim sit in intellectu, partim in voluntate, vnum est principium fidei prout in intel- lectu consummatur, aliud est initium fidei prout in vo- luntate iuhoatur, & de vtroque breuiter dicendum est.

Dico ergo primo. Post auditam fidem Euangelij, vel reuelationem acceptam, neminem habere posse absolutam voluntatem credendi, sicut oportet, seu de fide Christiana, nisi per gratiam Dei excitantem, & adiuuantem. Assertio absolutè, & in terminis sumpta est de

Exadulitate
in dicitur
Censura.

Quid item
initium fidei

Quid etiam
augmentum
fidei.

Expositio
alia prædi-
ctarum.

Ratio enim
dem Conci-
lii probatur
transcriptur.

Ratio in
fidei.

fit de fide, nam definita est à Concilio Arausico. canon. 5. dicente. Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, &c. In quibus verbis ob-
scurum est, quid per augmentum, quidve per initium fidei intelligatur, quid autem sit affectus credulitatis non est obsecrum, sed clarum. Affectus enim credendi plane idem est, quod voluntas credendi, illa enim vox, affectus, non significat quancumque inchoatam, aut simplicem complacentiam ad res fidei, sed efficacem affectum, quo (ut statim ibi adiungit) in eum credimus, qui iustificat impium, & ad regenerationem baptismatis peruenimus. Hoc autem non fit, nisi per efficacem voluntatem, ut constat; de hac ergo definit, esse per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem. Per initium aut fidei fortasse intellexit Cocilium hanc eandem voluntatem, nam cum dicit, initium fidei ipsumque credulitatis affectum, hæc posterior pars non videtur adde-
re certum membrum, sed explicationem proximæ præcedentis, unde in ro. 2. Concilior. omiſſa coniunctio-
ne que, sic legitur, initium fidei ipsum credulitatis affectum, subintelligendo particulam, id est, vel aliam similem, quam nonnulli codices habent hoc modo, initium fidei, hoc est ipsum credulitatis affectum. Et hunc verborum illorum sensum in principio capitis supposuimus. Quo posito per augmentum fidei sufficienter intelli-
gimus ipsam fidem, prout est in intellectu, tum ne il-
la videatur in illa definitione omiſſa, cum de illa præ-
cipue probationes ibidem asseruntur, tum etiam quia
opponit augmentum fidei, eius initium, quod in volun-
tate credendi consistit, & quasi augetur, vel potius
completur, quando in intellectu motione sua efficit
assensum. Et hac declaratione tanquam faciliore, &
probabiliore vtetur.

Potest tamen alia expositio illorum verborum con-
siderari, vt per augmentum fidei intelligatur, quod
in rigore verba sonant, aliquod comparatam iam fidei
incrementum, & per initium fidei ipsummet actum
credendi, prout primum in nobis fit, & esse incipit, ac
denique per affectum credendi, ipsam voluntatem
credendi. Et sic quoad doctrinam, quam intendi-
mus, nulla est diuersitas, sed additio, quia sic expresse
definitur, etiam augmentum fidei esse ex Spiritu
Sancti inspiratione, quod verissimum est. Et expositio
videtur non parum consentanea Augustino libr.
de Prædicatione Sanctorum cap. 2. Aliter etiam
posſent illa duo distingui initium fidei, & affectus
credendi, vt per initium intelligatur vocatio ad fi-
dem, ad quam sequitur voluntas credendi, quæ causa
est actus fidei, qui per augmentum fidei significatur
iuxta primam expositionem. Et hoc modo confir-
mat ille canon non solum præsentem assercionem, sed
etiam sequentem, & aliam, quam capite præcedenti
stabilitimus. Et omnibus modis canon ille intentum
à nobis veritatem comprobatur. Quam Concilium
probat tribus Scripturæ locis. Primus est generalis
ad Philip. 1. Qui caput in vobis bonum opus, ipse perficiet. A-
lia vero sunt specialia de fide, scilicet eodem Philip. 1.
Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis,
&c. Et ad Ephes. 2. Gratia saluari estis per fidem, donum
enim Dei est. Quæ testimonia, quia de fide simpliciter
loquuntur, & fides est voluntaria, ac libera, tacite
explicantur à Concilio, vt non solum de actu intelle-
ctus, sed etiam de voluntate credendi intelligantur,
estque expositio conformis Augustino libr. de Prædest.
Sanctorum cap. 2. & 7.

Addit denique Concilium in fine canonis ratio-
nem subobscuram ab inconuenienti sumptam dicēs,
Qui enim fidem, qua in Deum credimus, dicunt esse natura-
lem, omnes eos, qui ab Ecclesia Christi alieni sunt, quodammo-
do fideles esse definiunt. Non est enim facile deducere hoc
inconueniens ex Semipelagianorum sententia. Cui enim
idololatæ erunt aliquo modo fideles, etiam si fides in
nobis esset ex viribus naturæ, quia de facto non est in
illis, etiam si, iuxta illum errorem, vires habeant, qui-

bns possent credere, si eis prædicaretur Euangelium.
Sed videtur illatio intelligenda de his, qui extra Ec-
clesiam in Deum aliquo modo credunt, vt sunt hære-
tici, Iudei, & Pagani, illi enim aliquam naturalem, seu
acquisitam fidem habent, & ideo si nostra etiam fides
naturalis esset, quodammodo illi fideles, vel Christiani
essent. Quæ ratio tanquam ex abundanti addita est
à Concilio tanquam cōiectura, & manu ductio quæ-
dam, ad significandum fidem Christianorum altioris
rationis esse ab omni fide, qua extra Ecclesiam non-
nulli credunt in Deum, ac subinde, licet hæc sit vo-
luntaria voluntate naturali, nihilominus volunta-
tem credendi modo Christiano, opus esse diuinæ
gratiæ.

Non defuerunt autem qui hanc definitionem de
fide viuæ interpretati fuerint, ita vt non quilibet af-
fectus credendi, sed ille, quo aliquis vult credere in
Deum super omnia dilectum ex gratia esse definita-
tur. Possentque iuari illis verbis, Corrigentis voluntatem
ab infidelitate ad fidem, & ab impietate ad pietatem, id est, ad
sanctitatem. Item inducere possunt verbum illud,
Qui enim fidem, qua in Deum credimus, naturalem esse defi-
niunt. Nam fides, qua in Deum credimus, est fides viu-
ua, seu formata, iuxta vulgarem expositionem D. Tho-
mæ; ergo de illa sola loquitur Concilium. Quam qui-
dem sententiam typis mandatam non inuenio: audi-
ui autem virum satis doctum, & grauem illam publi-
ce in quadam Academia docuisse, consequenterque
dixisse voluntatem credendi, quæ charitatem præce-
dit, posse sine viribus gratiæ per liberum arbitrium
haberi. Quæ sententia valde mihi displicet, quia cen-
seo in hoc canone esse damnatam, & ideo breuiter
ostendam, expositionem illam omnino falsam, & cō-
tra verba, & mentem Concilij esse.

Primo quia per illud decretum intendit Conci-
lium damnare errorem Semipelagianorum, qui di-
xerunt, licet perfecta fides sit ex gratia, initium fidei
esse ex nobis, maxime voluntatem credendi, vt con-
stat ex Augustino libr. de Prædicatione Sanctorum cap. 2.
& sequentibus, & Prospero, & Hilario in epistol. ad
ipsum; ergo Concilium non loquitur de voluntate
charitatis, sed contritionis, sed de illa voluntate, de
qua, seu circa quam Semipelagiani errabant. Secun-
do idem probatur ex verbis Concilij, quia charitas,
quæ informat fidem, & facit illam esse viuam, non
potest dici initium fidei, sed potius eius perfectio: ne-
que amor charitatis, quo fides viuat, est affectus ipse
credendi, sed est amor Dei super omnia, qui longe di-
uersus affectus est. Vnde hic etiam amor, seu affectus
diligendi Deum non mutat hominem ab infidelitate
ad fidem, potest enim fieri hæc mutatio sine infusio-
ne charitatis, fit autem per affectum credendi; ergo
sermo est de isto affectu, quatenus præcisè ad fidem
terminatur, per quem transfertur homo ab impietate
ad pietatem, id est, à falso cultu ad verum cultum
veri Dei, hoc enim proprie illa verba significant.

Tertio hoc euidentius conuincunt verba eiusdem
Concilij in canon. 7. dicentis: Si quis per naturæ vigorem
bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vite æternæ, cogitare
vt expedit aut eligere sine saluari, id est, Euangelicæ prædica-
tioni consentire posse confirmat, absque illuminatione, & inspi-
ratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suauitatem in consen-
tiendo, & credendo veritati. hæretico fallitur spiritu, non in-
telligens vocem Dei in Euangelio dicentis. Sine me nihil potestis
facere. Et illud Apostoli. Non quod idonei sumus, cogitare ali-
quid à nobis, quasi ex nobis sed sufficientia nostra ex Deo est.
Vbi pondero verbum, Consentire prædicationi, nam
consentire actus voluntatis est, quem statim ab actu
credendi distinguit Concilium, dicens, dat suauitatem
in consentiendo, & credendo, ille autem consensus non
est, nisi voluntas credendi, quæ antecedit charita-
tem, & sine illa esse potest: infidelis enim consen-
tendo prædicationi conuertitur ad fidem; etiam si no-
dum amet super omnia Deum, nec poenitentiam a-
gat: ergo ad illum etiam consensum requirit gratiam
Conci-

5. Refertur in
interpretam
tum quæritur
dam allati
canonibus.

6. Reſertur in

Reſertur in

7. Reſertur in

Concilium. Præsertim quia etiam illa voluntas est quadam electio conferens multum ad vitam æternam, & ita etiam comprehenditur sub prioribus verbis eiusdem Concilij. Idemque sumitur ex canone 25. & alijs generalibus decretis. Et tandem confirmatur ab inconuenienti, quia alias fides secundum se non esset ex gratia, sed tantum vt viua per charitatem, consequens est omnino erroneum, quia etiam fides informis, & vt tempore separatur à iustificatione, est donum Dei, vt constat ex Concilio Tridentino sess. 6. & 14. & ex omnibus dictis in præcedenti capite. Sequela vero patet, quia Concilium Araucanicum eodem modo requirit gratiam ad fidem, & ad initium fidei; ergo vel in vtroque loquitur tantum de fide viua, & sequitur inconueniens dictum, vel in vtroque loquitur de fide secundum se, etiam vt antecedit iustitiam, & sic concluditur, quod intendimus.

Quarto veritas ipsa, & assertio posita confirmatur ex doctrina Concilij Tridentini sess. 6. capit. 6. vbi describendo iustificationem, inquit. *Mouentur autem ad iustitiam, dum diuina gratia excitati, & adiuti libero mouentur, in Deum credendo, &c.* vbi aperte loquitur de fide, quæ antecedit cæteras dispositiones ad gratiam, etiam remotas, & imperfectas, vt sunt timor, &c. & tamen dicit illam fidem, quatenus libera est, esse ex gratia excitante, & adiuuante, est autem fides libera ratione huius voluntatis; ergo ad hanc voluntatem requirit gratiam excitantem, & adiuuantem. Et iuxta illam doctrinam intelligendus est canon. 3. vbi ad fidem dicit esse necessariam illuminationem, inspirationem, & adiuuantem gratiam, nam sub fide comprehendit hanc voluntatem, quia loquitur de illa, vt actus liber, & humanus est. Quinto hoc probant testimonia Scripturæ, quibus eadem Concilia vtuntur, vt vidimus, quibus addi potest illud Act. 16. *Cuius Dominus aperuit cor, intendere ipsi, quæ dicebantur à Paulo.* Et idem probant cætera iam adducta, quæ generaliter loquuntur de operibus pietatis: nam sub illis merito comprehenditur hæc voluntas, quia per se multum confert ad salutem, & pietatem, & est actus maxime necessarius ad salutem. Vnde si homo à se haberet illam voluntatem, multum haberet, vnde gloriari posset; imo initium salutis posset sibi tribuere, quia ab hoc actu illud magna ex parte incipit.

Sexto propter hæc, & similia Augustinus, qui aliquando fuit in illa sententia, in quadam expositione epistolæ ad Rom. proposuit. 62. illam sub nomine erroris retractauit. Retractat. cap. 23. & lib. de Prædest. Sanctior. cap. 3. dicens, se fuisse aliquando in illo errore. Et in illo libro late hoc persuadet, tum ex varijs Scripturæ testimonijs, tum etiam argumentis desumptis ex orationibus, quibus alijs hanc voluntatem credendi petimus, & pro simili voluntate nobis, vel alijs data gratias agim⁹, & vt in ea perseueremus, postulamus. Tum ex eo, quia alijs si initium fidei, seu voluntas credendi esset ex nobis, per illam possemus mereri fidem, & per fidem cætera; & ita simpliciter initium salutis esset ex nobis, & vicissent Semipelagiani, & destrueretur ratio gratiæ, quia iam non gratis, sed ex meritis daretur. Quæ argumenta late prosequitur tum ibi, tum q. 2. ad Simplicianum, & lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 8. & sequentibus. Prosper contra Collat. cap. 6. & in epist. citata, & ad excerpta Genuesi dub. 5. & lib. 1. de Vocat. gent. cap. 22. alijs 7. Fulgent. de Incarnat. & grat. cap. 18. & optime de fide ad Petrum cap. 32. & Petr. Diacon. lib. de Incarnat. & grat. capitulo 6. in fine.

Tandem ratio Theologica huius assertionis eodem modo explicanda est, quo id fecimus in præcedenti capite. Nam hæc necessitas non est accidentaria ex difficultatibus, vel impedimentis extrinsecis, sed est per se, vt probant omnia adducta. Vnde in omni statu intellectus creaturæ, atque adeo in omnibus, & singulis actibus volendi credere talis necessitas inuenitur, quod eodem modo probandum est,

ergo prouenit hæc necessitas ex supernaturalitate ipsius actus. Hæc autem declarari potest ex ipso actu credendi intellectus, vel quatenus est effectus, vel quatenus est obiectum huius voluntatis. Nam voluntas per hunc affectum efficaciter mouet intellectum, & captiuat illum in obsequium fidei, illa autem motio intellectus supernaturalis est; ergo & voluntas non potest per solas vires naturæ efficaciter mouere intellectum ad operandum supra naturam. Item honestas, quæ inuenitur in ipso actu credendi, quam voluntas amat per illum actum suum, supernaturalis est: ergo & ipse affectus est supernaturalis: qualis autem hæc supernaturalis sit, in sequentibus explicabimus.

Contra hanc vero sententiam sensisse videtur Scotus in 3. d. 25. q. 2. vbi directe contra D. Thomam contendit, non esse necessariam in voluntate habitum infusum, qui sit principium voluntatis credendi. Consequenter vero id probat, quia ad credendum non est necessaria voluntas credendi, quæ ex gratia fiat, & ac subinde quæ supernaturalis sit, quia ad credendum ex fide infusa, vel nulla voluntas necessaria est, sed sufficit, vt voluntas non contradicat, vel esto, inquit, requiratur motio postriua voluntatis, etiam sufficit voluntas ad sic mouendum in puris naturalibus, per quæ verba non solum habitum, sed etiam principium supernaturale, omneque speciale auxilium excludit. Potest & hæc sententia vulgari obiectione suaderi, quia interdum mouetur homo ad fidem per voluntatem peccaminosam: talis autem voluntas non potest esse ex gratia; ergo non oportet voluntatem credendi semper esse ex gratia. Minor videtur per se nota, quia mala voluntas non potest esse ex inspiratione diuina. Gratia enim Dei (vt August. lib. de Grat. & lib. arbit. c. 15. dixit) semper est bona, & per hanc fit, vt homo sit bona voluntatis. Et ideo etiam lib. 2. contra duas epistolas Pelag. dixit, *Cupiditas boni, à Deo non esset, nisi bona esset.* Maiorem autem propositionem indicat Augustinus libr. de Catechizand. rubic. c. 17. dum dicit aliquos fieri Christianos propter humanum honorem, vel aliam temporalem cupiditatem, qui actus malus est.

Ad Scotum respondemus, in primis eius responsionem procedere ex quibusdam fundamentis parum contentaneis veris de gratia principijs, ille enim opinatur, fidem infusam supponere fidem acquisitam: imo actum fidei infusæ esse eundem in substantia, & entitate, solumque differre in aliquo modo, quem actus fidei Christianæ habet ab habitu infuso. Hinc ergo in citato loco dixit Scotus, ad fidem acquisitam articulo fidei sufficere voluntatem naturalem mouentem intellectum, post illam vero fidem vel non esse necessarium voluntatis actum, ad credendum fide infusæ, vel esto requiratur, eandem voluntatem ex puris naturalibus elicita sufficere. Hæc autem doctrina probanda non est, quia sapit Semipelagianum errorem. Vnde quidquid sit, an actus fidei infusæ, & acquisitæ differant in substantia actus, quod postea videbimus, & an acquisitus ad infusum supponatur, quod ad præsens non refert, & in propria materia tractandum est: vt certum supponimus, ad credendum fide infusæ necessariam esse positum motionem voluntatis per affectum credendi. Nam hoc aperte supponitur in dicto canone Concilij Araucanici, dum affectum credendi initium fidei vocat, vel saltem cum numerat vt necessario coniunctum cum actu credendi. Denique idem docet sapius Augustinus, præsertim de Prædestinat. Sanctior. cap. 5. & in fine quæst. 2. ad Simplician. & tract. 26. in Ioann. quem locum late expendit, & defendit Prosper ad Excerpta Genuesi. c. 4. Idemque supponit Fulgen. de Incarnat. & grat. cap. 17. Bernard. libr. 5. de Considerat. capit. 6. Hoc ergo posito certum est, illam voluntatem debere esse diuinitus inspiratam, ac subinde non posse haberi ex puris naturalibus, vt probatum est. An vero possit Scotus aliquo modo excusari, paulò inferius dicam.

13. Ad obiectionem vero aliqui putant, posse eundem actum ex obiecto bonum fieri malum ex relatione ad prauum finem, retenta bonitate, quam ex obiecto habet. Iuxta quam sententiam consequenter dici potest, eandem voluntatem credendi, etiam si ex gratia sit, & inde habeat bonitatem sui ordinis, posse accidentaliter male fieri ex relatione ad malum finem. Ego vero sententiam illam in vniuersum falsam esse censeo, maxime vero in actibus supernaturalibus à voluntate elicitis, quos ab omni macula puros esse necesse est, quia revera non possunt ex malo fine imperari, de quo latius in l. 2. q. 18.

14. Respondeo ergo negando minorem, nam si voluntas mouens ad credendum, sit ex motiuo humano, non sufficit ad credendum, sicut oportet, nam illud motiuum non solum debile est, sed etiam potest inducere ad non credendum. Vnde aiebat Christus Ioann. 5. *Quomodo potest credere, qui gloriam inuicem accipit?* vel certe potius inducit ad fingendum, quam ad credendum. Vnde August. dicto lib. de Catechizand. rudib. cap. 5. *Qui aliquid (inquit) expectando ab hominibus, quibus se aliter placitum non putat, aut aliquid ab hominibus incommodum euitando, quorum offensiones, aut iniurias reformidat, vult fieri Christianus, non fieri vult sed potius fingere: fides enim non est saluandi corporis sed credentis animi.* Vnde licet dicto cap. 17. in principio dicat, esse aliquos, qui propterea volunt esse Christiani, vt promerantur homines, à quibus aliqua temporalia expectant, aut ne offendant, quos timent, paulò inferius indicat, eos irridere Christianum nomen, & simulato corde intrare in Ecclesiam. Ideoque eos distinguat ab alijs, qui meliore spe, & ex timore Dei volunt fieri Christiani, simul vero id faciunt, vt feliciores sint in rebus terrenis, quam illi, qui non volunt Deum, de quibus ait, meliori spe esse, quia verè, & non fictè sunt Christiani, sed non cum minori periculo, quia si postea temporalia non consequantur, & alios in pios videant in temporalis felicitate excellere, percurrantur, & facile à fide deficiunt. Hi enim non mouentur ad fidem primario ex intentione temporalium, sed tantum concomitanter, & secundario, & ideo potest in eis esse voluntas bona, & supernaturalis credendi coniuncta alteri, vel prauæ, vel indifferenti.

15. Denique accidere etiam potest, vt sine fide vera, & Christiana velit quis verè, & non fictè baptizari, vel ad summum credendo fide quadà humana. Et tunc, cum ille non credat, sicut oportet ad salutem, non oportet, vt ex voluntate supernaturali, & honesta veniat ad baptismum, & nihilominus vere fiat Christianus quoad characterè, quia ad hoc sufficit, quod voluntatem habeat recipiendi baptismum, nam qualiscumque sit illa voluntas, sacramentum erit validum. Adde præterea sermonem esse de voluntate credendi, quæ determinet intellectum quoad specificationem actus, eumque reducat ab infidelitate ad fidem, vt Araus. Concilium dixit. Nam si loquamur de homine iam credente, & assuefacto ad exercendum actus supernaturales, accidere potest, vt ex humano tantum motiuo applicetur ad considerandum de rebus fidei, & quod tunc liceat actus veros, & supernaturales fidei ex vultu, & habitu, etiam si tunc non habeat in voluntate peculiarem actum supernaturalem, & hoc modo posset excusari Scotus in loco supra citato. Nam aperte loquitur de homine habente iam habitum fidei infusæ, & de illo ait, posito credibili presenti posse per habitum fidei infusæ credere, vel non contradicente voluntate, vel per naturalem voluntatem applicantem intellectum ad intelligendū, dūmodo, inquit, in intellectu sit habitus inclmans intellectum in illud. Tunc enim illa voluntas non est proprius affectus credendi, de quo loquuti sumus, sed est generalis voluntas operandi circa materiam, quæ iam supponitur credita, & ideo inferioris rationis esse potest.

16. Dico secundo. Non solum voluntatem credendi, Pars I.

sed etiam initium voluntatis esse ex gratia, seu potius esse peculiarem gratiam Dei gratis omnino collatam. Hæc assertio etiam est contra Semipelagianos, nam licet forte aliqui eorum sentirent, illam voluntatem credendi esse ex auxilio gratiæ, semper dicebant, præcedere ex parte nostra aliquod initium illius auxiliij, ratione cuius principij illa voluntas sit in potestate nostra, siue illud principium sit aliquod humanum desiderium, petitio, vel aliquid eiusmodi, vt ex Augustino, Prospero, & Hilario ex dictis in libr. 1. satis constat. Contra hos vero definita est assertio in cano. 5. Concilij Arausici, si initium de quo ibi est sermo, ab actu, & voluntate credendi distinguatur. Quia vero probabilius videtur, ibi Concilium voluntatem credendi vocasse initium fidei, & consequenter de eo, quæ præcedit voluntatem illam, ibi nihil dixisse, ideo vltèrius ponderandum est in eodem canone definiti, voluntatem illam fieri in nobis, per gratiæ donum, hoc est, per inspirationem Spiritus Sancti corrigenstem voluntatem nostram, &c. Ergo intelligit Concilium, inspirationem illam esse principium illius voluntatis: illa autem non est ex nobis, sed ex Spiritu Sancto. Item dum ait, esse gratiæ donum, aperte docet, non esse ex vilo merito nostro, quia si ex merito, iam non est gratia. Et in cano. 6. & 7. euidentius ostendit, gratiam illam, per quam fides, vel affectus ad illam, in nobis gignitur, non dari nobis propter humanam inuocationem, vel aliquid simile, ac subinde quidquid præcedit per se conferens ad talem affectum ex gratia esse. Expresse etiam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. dicit exordium iustificationis sumi ex vocatione diuina, loquitur tamen de tota iustificatione, vt à fide incipit, vt patet statim ex cap. 6.

17. Præterea declaratur assertio ex re ipsa, nam hoc initium voluntatis credendi nihil aliud est, nisi gratia vocationis, & non tantum externæ, sed etiam internæ, per quam & intellectus suadet, & voluntas paulatim attrahitur, vt velit, quam interdum vocat Augustinus internam doctrinam, sapius vero gratiam vocationis, quam vbique plurimum commendat, & exaggerat, præsertim dicta quæst. 2. ad Simplician. & lib. de Prædestinat. Sanctor. At vero illa vocatio est ex pura gratia Dei, imo est ipsa prima gratia auxilians, ergo initium voluntatis credendi est gratia, & ex gratia, seu gratuita voluntate Dei. Quod optime confirmat August. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 2. & illo 2. Corinth. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, aliquid scilicet, ad salutem conferens, sed principium illius voluntatis est aliqua pia, & sancta cogitatio multum saluti proficua, quia credere, inquit, est cum assensione cogitare, & quia nemo credit, nisi prius cogitet esse credendum, ergo illa cogitatio, seu illud principium voluntas credendi non est ex nobis, sed ex Dei gratia.* Et in cap. 4. idem confirmat ex illo 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* nam illud initium aliquid est, & magni momenti. Nam ante prædictam voluntatem necesse est, habere hoc iudicium, *credendum est, vel expedit credere*, hoc autem aliquid est, & magni momenti ad negotium salutis: est ergo gratia, seu ex gratia. Item cum voluntas per illum affectum eleuetur supra totum ordinem naturæ, necesse est, vt præcedat in intellectu illuminatio sufficiens: illa ergo non potest esse ex natura, sed ex gratia. Hic autem incurrant grauissimæ difficultates de illo iudicio, quale, & quomodo sit supernaturale, & ad quam virtutem pertinet. Sed hæc pertinent ad materiam de fide. Item occurrebat difficultas, quomodo illud initium sit in potestate hominis, & an detur facienti, quod in se est per vires naturæ. Hæc vero in lib. 4. explicabitur.